Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26468
Copyright: Admont, Benediktinerstift

40

ait iob. Cum sublatus fuerit impius timebunt angeli. & purgabuntur. exterriti. angelos videlicet sanctos quoque volens intelligi. VI.

Quod xpistus ad iudicium veniens mitis iustis et terribilis apparebit. iniustis.

Redemptor humani generis cum apparuerit & mitis iustis. & terribilis erit iniustis. Quem enim mansuetum aspicient electi. hunc eundem pavendum atque terribilem conspicient reprobi. Sed ideo hunc electi terribilem non videbunt. quia modo terrorem illius considerare non desinunt. & ideo reprobi terribilem illum conspiciunt. quia modo ultimi illius iudicii post ponunt terrorem & quod peius est quasi securi in suis sceleribus iacent. VII. Quod xpistum in carne ad iudicium venientem et iusti et iniusti carneis oculis sunt visuri.

Xpistus dei filius cum ad iudicium venerit faciendum. omnis partem humanitatem eius iusti & iniusti visuri sunt. divinitatem tamen eius non iniusti videbunt. quae iustis tantum visura permittitur. Nam quod ab iniustis tunc divinitas eius non videatur testatur esayas qui dicit. Tollatur impius ne videat maiestatem dei. Ex quo aptissime patet. quod reprobi